

64.

Der Prokurator des Magisters Johannes Meurer, Dekans der Artistenfakultät, theilt dem Richter und Subkonservator der Universität Burchard von Chemnitz, Probst zu St. Thomas in Leipzig mit, daß Conrad Tube den Joh. Meurer thätlich angegriffen und mit einem Messer schwer verletzt habe, und bittet den Thäter gebührend zu bestrafen. [1446.]

Hilschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176, fol. 304a.

Procurator et procuratorio nomine venerabilis magistri Iohannis Meurer, clerici Wratislaviensis dyocesis, pro nunc arcium facultatis decani universitatis Lipczensis bene meriti, coram vobis venerabili viro, patre ac domino Burchardo preposito canonicorum regularium monasterii sancti Thome apostoli in Lipczk, ordinis beati Augustini Merßburgensis diocesis, iudice et subconservatore parcium infrascriptarum, a reverendo in Christo patre ac domino, domino Iohanni episcopo Merßburgensi, iudice et conservatore principali iurium, privilegiorum, libertatum, rerum et bonorum venerabilium virorum dominorum magistrorum, doctorum et scolarium alme universitatis studii Lipczensis antedictae diocesis Merßburgensis, una cum certis suis in hac parte collegis cum illa clausula. „Quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios ꝛ.“ a sede apostolica specialiter deputato, subdelegato ꝛ. contra et adversus Conradum Tuben aut quamcunque aliam personam pro eo in iudicio legitime intervenientem proponit et dicit: Quia licet pax omnibus Christi fidelibus sit servanda secundum utriusque iuris determinationem licetque eciam nulli liceat in clericum manus inicere violentas, nichilominus tamen pridem anno domini MCCCCXLV in vigilia beati Mathei apostoli, a) prenomiatus Conradus Tube reus ante habitationem dicti magistri prope habitationem Nicolai famuli universitatis quam nunc inhabitat sitam, cultellum suum quem secum apportaverat evaginavit ausuque sacrilego, suadente diabolo, manus suas iniecit in dictum magistrum clericum temere, iniuriose et violenter, ipsum videlicet ad caput eius ad maximam sanguinis effusionem dire et atrociter cum cultello suo percussit atque enormiter vulneravit, propter quod nunc dirum dictum Conradum maioris excommunicationis sententiam a canone „Si quis suadente diabolo“ prolatam ipso facto dampnabiliter incidisse et incurrisse, quod fecit et facere presumpsit in magnam dicti magistri Io. actoris iniuriam, dampnum et iacturam, quas quidem iniuriam et molestacionem dictus actor ad animum revocavit et nunc revocat procurator predictus easque detinet in animo revocatas, volens ipsas pro mille florenis Ungaricis aliquo modo sustinuisse, sustinere neque pati velle et sic ipsas estimat, vestro tamen iudiciali taxa semper et in omnibus salva. Quare dictus procurator prefato nomine petit, quatenus vos domine preposite, iudex venerande, congeritis quantum sufficit de premissis, pronuncietis, decernatis et declaretis, dictum Conradum reum ausu sacrilego manus suas in dictum magistrum actorem et clericum temere et iniuriose iniecissee ipsumque ad caput eius ad maximam

64. a) 20. September.